

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Prorector Academiae Fridericianae Johann. Petr. Ludewig/
D. Consiliarius & Historiographus Regius, Jurium &
Historiarum Prof. P. Ordinarius & ducatus ...**

Ludewig, Johann Peter

[Halle], [1705?]

VD18 13087606

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:33-1-195958](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-195958)



41, 6, 5.



Post Budd. meditationes, et still. in sinu
 1. vult de ueritate Pauli. d. Pauli. isagog.
 2. Breth. vult de ueritate Pauli. d. Pauli. isagog.
 3. Breth. vult de ueritate Pauli. d. Pauli. isagog.
 4. Breth. vult de ueritate Pauli. d. Pauli. isagog.
 5. Breth. vult de ueritate Pauli. d. Pauli. isagog.
 6. Breth. vult de ueritate Pauli. d. Pauli. isagog.
 7. Breth. vult de ueritate Pauli. d. Pauli. isagog.
 8. Breth. vult de ueritate Pauli. d. Pauli. isagog.
 9. Breth. vult de ueritate Pauli. d. Pauli. isagog.
 10. Breth. vult de ueritate Pauli. d. Pauli. isagog.

12

PRORECTOR
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
JOHANN. PETR.

Ludewig / D.

Consiliarius & Historiographus Regius, Juri-
um & Historiarum Prof. P. Ordinar. & ducatus Mag-
deburgici Archiuarius,

Vna cum

PROFESSORIBUS RELIQVIS,
CIVES ACADEMICOS

AD

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI NATALITIA
DIGNE CELEBRANDA,

Omnes ac singulos amantissime hortatur
atque inuit.



Gloria in cælis altissimis Deo, & in terra pax,
in homines beneuolentia!

Hom. II. Dom.
I. Adu.



Eximia, CIVES, ac cedro digna B. Iohannis Brentii verba sunt, dicentis: Nullum in terris maius & diligentius studium esse debet, quam ut recte cognoscamus Iesum Christum Dominum nostrum; & supposito isto solideque probato, fundamento, grauisissime subiungentis: quemadmodum omnes tam Patriarchæ, quam Reges necesse habuerunt, opem suam conferre, ut adnuntiatio de aduentu Christi conseruaretur; ita admoneatur unusquisque, ut operam suam conferat, quo Euangelium, quod Christum aduenisse nunc prædicat, conseruetur. Magistratus præcipuum hoc officium est: quod si neglexerit, nullius utilitatis erit, & exterminabitur; aut si Deus tolerat, non nisi in malum eius tolerat, sicut & Turcam. Patris familias item officium est, ut conseruet in sua familia Euangelium Christi: quod si neglexerit, aut familia interibit, aut reseruabitur in malum ipsius. Idem de unoquoque priuato sentiendum est.

Hoc quum tam certum sit, ut de eo sine peccato dubitari nequeat, quid de scholis non tantum inferioribus, sed etiam superioribus, quæ Academiæ vocantur, sentiendum erit? Non aliud certe de iis iudicium fieri poterit, quam quod candidissimus Brentius de Magistratu, de Patre familias, de unoquoque priuato faciendum existimauit: officium videlicet scholarum atque Academiarum esse, ut cognitionem Iesu Christi conseruent, ut populum instructum Christo parent, ut omnes omnia ad Christi regnum & gloriam referre doceant, omni que opera sua Christo fideliter inseruiant. Hoc si neglexerint, nec ipsæ Academiæ ullius utilitatis erunt, sed exterminabuntur, aut, si tolerantur, fiet id in maximum earum malum. Eodem exa-

examine, eademque libra fas est se ponderare omnes, qui iuventutem docent, omnesque ac singulos litterarum ac scientiarum studiosos. Si enim suæ, non Christi gloriæ seruiant, adeoque non id, quod Christi est, vnice quarant, credere, seu fide vera ac viuâ Christo adherere nequeunt, teste ipsa veritate Ioh. V, 44. Si autem credere nequeunt, quo pacto seruabuntur? & qua via euadent, aut qua se a perditione saluos & incolumes præstabunt?

Agite igitur, o Nostri! Quicquid in hac re nostri est muneris quæcunque ab ipso Deo nobis præcipue demandatæ sunt partes, nequæso, negligamus, immo id ipsum, vt semper alias, ita hoc maxime tempore, quo Natales Iesu Christi celebramus, præ aliis ad nos certissime pertinere credamus, eaque, qua par est, reuerentia curare ac obseruare toto pectore studeamus, & rogato exoratoque Spiritus S. auxilio, connitamur. Vera hæc nobis laus erit, si omnem laudem nobis derogemus, vera gloria, si nullam adfectemus, nisi hanc vnâ, vt omnem laudem atque gloriam, non tantum verbis tribuamus, sed ipso animi habitu, vnoque vitæ totius tenore deferamus Christo, nosque *nihil* esse agnoscentes, ipsum solum omnia esse in omnibus læti profiteamur. His itaque inter hæc ipsa festorum dierum solennia sanctarum meditationum deliciis animum perfundamus, vocisque angelicæ: VOBIS NATVS HODIE EST SERVATOR, CHRISTVS DOMINVS, pie memores, pia mente pensitemus ac contemplemur, magnum, immo vna cum Patre & Spiritu S. vere ΤΡΙΜΕΡΙΣΤΟΝ (TER MAXIMUM) eum esse, qui nobis natus est, quemque colimus, SERVATOREM, CHRISTVM DOMINVM. Attendite animos, rem cognoscite, eamque, quia ob amplitudinem ne delineari quidem satis a nobis potest, tanto sollicitius animis vestris mandate, vt admissi quasi in latissimum meditandi campum, omni cogitatione in eum ingrediamini, ipsique inueniatis, quibus mens immortalis perpetuo oblectetur, nutriatur, exsatiatur.

Iure optimo meritisimoque MAGNUM nominamus eum, quem MAGNUM satutum esse Angelus significauit, priusquam ipse in vtero conciperetur. De eo enim, quem suo nomine IESVM appellandum esse dixerat, illico ait: Hic erit MAGNVS; vt intelligeremus, non nomine tantum, sed re ipsa *magnum* fore, ac proinde non minori efficacitate cognomen MAGNI, quam nomen IESV sibi asserturum esse.

Luc. I, 32.

Declarat vero Angelus id ipsum, quod MAGNVS sit futurus, ita, vt summatim quali paucisque verbis complectatur, quicquid vaticiniorum a condito mundo de Messia expectando editum, & quicquid MAGNVN de eo predictum fuerat. Nam hic erit MAGNVS, ait, & Filius Altissimi vocabitur, dabitque ei Dominus Deus sedem Davidis patris ipsius, regnabitque in domo Iacobi in aeternum, & regni eius non erit finis. Itane magnitudinem filii nascituri ad vaticinia expressa Veteris Testamenti, ad regnum Davidis, ad desiderium Iacobi, adeoque non minus antecedentium Patriarcharum, clarissime refert? Quis igitur MAGNVN non appellauerit eum, cuius nomen ore Patriarcharum & Prophetarum omnium celebratum, saeculis primis & antiquissimis non ignotum, a Davide piisque stirpis Dauidicae Regibus cultum, adeoque tanto antea tempore Magnum exitit, quam ab Angelo ei imponeretur; eum denique, cuius nomen omni creaturae sub caelo adnuntiatur iri magnumque futurum esse in saecula saeculorum, omnis Scriptura Θεοπνευστος, & praefer Angelum Dei, nubes quaedam testium confirmavit?

Qui magni in hoc mundo audire gestiunt, nominum ac titulorum longam seriem praeseferunt. At IESVS noster tot a Spiritu S. nominibus insignitur, vt dinumerare stellas velle videatur, qui illa (quae adnotare quidem & pensitare vtilissimum est) ad computationem omnia reuocare in animum inducat, Vnico autem eius nomine plura ac maiora comprehenduntur, quam omnes omnium Imperatorum, Regum ac Principum tituli ac nomina complecti vlla ratione possunt.

Act. 4, 12.
G. 10, 43.

Hic, hic vere MAGNVS est, quia non est aliud nomen sub caelo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos seruari: vtpote de quo testimonium perhibuerunt omnes Prophetae, quod, quisquis crediderit in eum, sit per nomen eius remissionem peccatorum accepturus.

2. Cor. 2, 10.

Etsi ergo omnium creaturarum voces in testimonium magnitudinis nominis Iesu merito consentiant, tantum tamen, tamque sublime est eius mysterium, vt praeter ipsum Magnum Iesum nemo omnino sit, qui plane illud agnoscat, modumque eius intellectus lumine adsequatur, quam solus optimus ille maximusque Pater: ubi non Spiritum S. qui omnia scrutatur, etiam profunditates Dei, sed creaturas excludi, nemo non facile intelligit.

Id

Id quod non Iohannes tantum, clarissima diuinæ reuelationis luce imbutus, sed ipse gloriæ Paternæ illustrissimus splendor Filius testatus est & declarauit. Quapropter non modo mortales, qua sunt intellectus angustia, sed ipsi etiam cœlicolæ nominis eius vim, emphasin, amplitudinem, gloriam ac maiestatem attoniti mirantur potius, & auguste sancteque venerantur, quam capiunt & cogitatione comprehendunt. Tale enim est nomen eius & tantum, qualis, quantusque est ipse, cui tribuitur. Eius autem dignitas quum infinita sit, pari ea indicio ornari debet. Agnouit hoc Psalter, quare Mesiam instinctu Spiritus S. ita laudauit: *Exaltabo te, Deus mi, Rex; & benedicam nomini tuo in seculum & sempiternum: Quotidie benedicam tibi & laudabo NOMEN tuum in seculum & sempiternum. MAGNVS est Ichoua & laudandus valde, immo MAGNITVDO eius peruestigari nequit. Quis ergo nominis illius magnitudinem, quo infinita huius personæ magnitudo designatur, peruestigari a se posse præsumserit?*

Et de diuina quidem magnitudine recte Augustinus ait: *Non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed se ipso magno magnus est, quia ipse sua est magnitudo. Est autem Christus ὁ μέγας Θεός, magnus Deus. Namque talem Euangelistæ & Apostoli prædicarunt; talem Prophetæ Mesiam & vaticinati sunt, & expectarunt, & ad decentem eius venerationem nos inuitarunt. Deus magnus Ichoua, ait Psalter; & Rex magnus supra omnes deos: in cuius manu sunt ima vestigia terre, penes quem sunt vires montium; cuius est ipsum mare, ut qui fecit illud; & arida, quam manus eius formarunt; venite, incuruamus nos, & procumbamus; flectamus genua coram Ichoua, qui fecit nos; quum ipse sit Deus noster, nos vero populus pastus eius, & grex manus eius. Hodie si vocem eius audieritis, ne obduretis animum vestrum &c. Et alibi: Pudore suffundantur omnes colentes sculptile, qui se iactant de idolis; adoranto eum omnes Angeli. Proinde Christi magnitudinem declaraturus Iohannes, In Principio, ait, erat verbum, & verbum illud erat apud Deum, eratque illud verbum Deus: Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per hoc (Verbum) facta sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum est. Rectissime de hoc initio euangelii Iohannis scribit Rupertus Tuicensis: Secundum huius Euangelii tutissimam fidem, Verbum Dei Deum esse credimus, & confitemur, Deo, apud quem erat in principio, consubstantialem. Credentes autem & consistentes adoramus eum Patre & Spiritu S. hunc Deum. Hoc igitur*

Apoc 19, 12.
Matth. 21, 27.

Ps. 145, 1, 2, 3.

L 5, de Trin.
cap. 10.
Tit. 2, 13.
Rom. 9, 5.
Ioh. 1, 1.

Ps. 95, 3. seqq.

Ps. 97, 7.
Ebr. 1, 6.
Ioh. 1, 1, 2, 3.

de victoria
Verbi Dei l. 1.
c. 2.

maximum est magnitudinis Christi fundamentum. Ex eo enim intelligitur, quod Christus, ut ὁ μέγας Θεός, Patri consubstantialis, non participatione magnitudinis, sed se ipso magno magnus sit, quodque ipse sua sit magnitudo, ut Augustini verbis iterum utamur. Quisquis autem ab hoc fundamento recedit, is nec Moſen, nec Prophetas, nec Psalmos, neque Christum ipsum, neque Euangelistas, neque Apostolos intelligit, nec Christum æque ut Patrem, quæ Patris voluntas est, honorat, & quamlibet speciosa, re tamen ipsa inania nomina, & subdole impertit.

Ioh. 5, 23.

Luc. 1, 32.
Beza in h. l.

2. Sam. 7, 14.
conf. Pl. 89, 27.
28.
Pl. 110, 1.

Pl. 19, 23, 24, 29.
45. 46. 47. 48.
67, 68. 89. 93. 95.
96. 97. 98. 99.
100, 110, 130, &c.

Ioh. 10, 33. c. 5,
18.

Ebr. 1, 16. 8. 10.
11. 12.

Rom. 1, 4.

Ideo etiam Angelus, postquam ipsum Magnum dixerat futurum esse, statim addidit: & Filius Altissimi vocabitur. Vocabitur, id est, declarabitur. Quum enim Filius esset ab eterno, suo tempore manifestatus est in carne. Etenim de Messia hoc dictum erat Dauidi; Ego ero illi Pater, & ipse erit mihi filius. Id quod per Spiritum propheticum intelligens Dauid, eum non tantum vocabat Dominum, quem nouerat filium futurum esse, secundum carnem; sed etiam Iehoue & Magni Dei ac Creatoris cæli & terræ nomine frequentissime in psalmis, tum antea iam adductis, tum plurimis aliis, appellabat. Ac tamen in Veteri Testamento, non tam clare, ut in Nouo T. omnis veritas erat manifestata, & sapientia interdum parabolico quodam sermonis genere utebatur, inprimis ad ἀνίσταν hominum respiciens, quomodo in Prouerbiis videre est: Quis suscitauit omnes terminos terræ? Quod nomen est eius, & quod nomen filii eius? noscine? nihilominus tamen, quod per filium Dei non homo, sed persona Deo consubstantialis intelligatur, adeo Iudæos non fugiebat tempore Christi, ut, quum Christus diceret: Filius sum Dei; blasphemiam eum (licet in eo ipsi blasphemiam) accusarent, quippe qui, quum esset filius hominis, se ipsum Deum faceret. Vnde & Apostolus deinde ex concessa veritate arguens, Christi diuinam maiestatem ex eo, quod Filius Dei vocetur, non minus probat, quam ex eo, quod ab Angelis adoretur, & expresse Deus appelletur, & creatio cæli ac terræ, immutabilitas ac æternitas ei adscribatur. Magnum itaque & nos vocamus Christum propter ea quoque, quod Filius Dei sit, & existerit ab eterno, & in tempore sit declaratus, adeoque ut imago Dei inuisibilis, splendor gloriæ eius, & character essentia eius, sustinens omnia verbo suo potente, & per se ipsum faciens purificationem peccatorum nostrorum, non possit non MAGNVS & agnosci & nominari.

Quem

Quem vero ita secundum scripturas tamquam Dei inuisibilis, & essentiae eius imaginem, gloriaeque effulgentiam, *Magnum* esse profitemur; eum oportet etiam *Magnum* esse *Charitate*. *Deus enim est charitas*. Itaque Filius Dei, imago Patris, etiam est *charitas*, h. e. non tantum *Magnus* charitate; sed ipsa *charitas*. Id quod, ut plenius intelligatur, verbis B. Ioh. Brentii malumus, quam nostris, declarare. *Vocatur*, ait, *Deus misericors, clemens, multae miserationis & verax*. *Hae non sunt nuda Dei epitheta, nec tribuuntur Deo propter unum tantum aut alterum beneficium, miseriis praestitum, sed quod clementia, misericordia & misratio (nimirum quibus epithetis charitas Dei declaratur) sint ipsa Dei natura, essentia, & naturale, ut sic loquar, ingenium*. *Etsi enim tribuitur Deo aliquoties, pro humano more, ira, indignatio, & furor, tamen haec non est propria eius natura, sed aduentitia, & ut Esaias loquitur (c. 28. 21.) aliena & peregrina. &c. & alibi: Quaecunque Dominus incedat, quicquid instituerit, proposuerit, statuerit, & fecerit, non est, si consilium & finem eius consideraueris, nisi clementia, bonitas, & salus: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis, ut conuertatur, & viuat. Vides, ne mortem quidem ipsam esse apud Deum meditationem mortis, sed vitae. Nec mirum, Deus enim, essentia & natura sua, non est nisi vita & salus, ut, si qui morte perierint, non pereant Dei, sed suo ipsorum vitio, quod beneficium Dei non agnoscant fide, sed incredulitate repellant.* Quam rem Brentius passim in scriptis suis exegeticis vberime, ut fas est, prosequitur. Vnde si quis iam perceperit, quid Iohannes velit, quando adfirmat, quod *Deus sit charitas*, intelligit simul, Christum *charitate* vere *Magnum* esse, verissimeque de eo adfirmari, quod *nemo eo maiorem habeat charitatem*, utpote qui sit ipsa charitas. Vt enim inter homines, *vere magnus est*; ut Thomas a Kempis ait, *qui magnam habet charitatem*, eo quod imago Dei in homine tali maxime reluceat: ita longe meliori iure Christus vere *magnus* dicitur, quia modo multo sublimiori ipsa Dei natura atque essentia, qua charitas est, in eo tamquam in unigenito filio, caractere *ὡς αὐτὸς αὐτὸς* ac splendore gloriae eius, inest & exsplendescit.

Ecce autem, tantus quum esset Dei Filius, an in carne se manifestantem, humanam naturam adsumentem, eamque cum diuina natura in unitatem personae unientem, minorem factum opinabimur? Absit, ut quem *Magnum* charitate, ipsamque charitatem esse agnouimus, eum minorem putemus in eo ipso, quo magnitudinem

1. Ioh. 4, 16.

Brent. in Pf. 55.

in Pf. 67. vid.
etiam in Pf. 30.

Ioh. 15, 13.

de imit. Chr.
1. 1, c. 3.

dinem suæ charitatis, non verbis aut promissis amplius, sed re ipsa
 declarauit, factoque stupendo, ipsis angelis mirabili, hominibus
 deprauatis incredibili, ostendit, comprobauit, & ipse ut charitas
 in mundo apparuit! Quid? quod & Angelus ad testimonium a
 Deo missus, & omnis insuper exercitus cælestis testatur, Christum
 & tum, quum nasceretur, ut humillimum, ita sua quoque maie-
 state venerandum extitisse. Rem, quæso, accuratius considerate!
 Creator vniuersi, Deus, legatum mittit; ad quem? ad Impera-
 torem Augustum? non. ad Herodem? minime. ad Synedrium,
 magnum? nequaquam. ad quem igitur? ad pastores in agro ex-
 cubantes. Ita nimirum primum a natiuitate Domini euangelium
 pauperibus, contemtisque in mundo hominibus, adnuntiandum
 erat, ut eum venisse constaret, quem ad euangelizandum paupe-
 ribus (spiritu potissimum) venturum Iesaja prædixerat; utque,
 facta præsertim summæ Maiestatis cum extrema tenuitate compara-
 tione, de magnitudine exhibendæ charitatis symbolum daretur.
 Quis autem ad legationem isthanc obeundam a Deo deligitur?
 Non homo mortalis, sed Angelus. Idem sæpenumero factum, ais;
 quid igitur hic singulare accidit? *Gloria Domini hic circumfulsit eos*
ipsos, quibus Angelus, nihil tale expectantibus, superuenit. No-
 tandum autem, quod visiones, in sacris narratæ, omnibus suis
 circumstantiis aut vaticinentur, aut doceant, aut arguant, aut con-
 solentur. Ut legis terror significaretur, adeo horrendum erat vi-
 sum, quod apparebat, ut Moses diceret; expauesactus sum ac tre-
 mebundus. Iosue ut signum esset, Dominum sine longiori mora
 impietatem Cananæorum seuerè vindicaturum, attollenti oculos
 vir quidam, gladium strictum in manu tenens, ex aduerso stabat,
 quem postea principem militiæ Iehouæ esse intelligebat. Quum
 inflammata a spiritu sancto linguæ Apostolorum Christum in vni-
 verso mundo prædicare deberent, videbantur eis dispertitæ linguæ
 instar ignis. Igitur hic quoque; ut & verba legati, & circumstan-
 tiæ visionis rem ipsam plenius declararent, simul Angelus Dei reci-
 tauit *εὐαγγέλιον* suum, & effulsit *Gloria Domini*, ac pastores *circumful-*
sit. Ita quippe maiestatem atque gloriam eius, qui natus esse dice-
 batur, omnes intelligere debebant. Is enim, quem *effulgentiam*
gloriæ Domini esse percepimus, tum natus erat; is, qui gloriam Dei
 adiuturus, hominesque ad gloriam cælestem perduciturus erat, fa-
 sciis inuolutus, & in præsepi iacens, Bethlehemi poterat inueniri,
 quo,

Ebr. 12, 21.
 Ex. 19.

Ios. 5, 13.

Act. 2, 3.

quo, ne dubitatio superesset, Angelus pastores ablegabat. Et ecce! dum magna Angelus gaudia nuntiat, dum, quæ a Deo mandata erant, dilucide expedit, non hominum tantum, sed Angelorum (omniumne dicam?) attentis utitur auribus. Delectantur hi nuntio exoptatissimo, lætissimoque, audiunt, silent, gaudent; simul ac finem sermoni suo legatus imponit, ecce, non aliquis angelorum chorus, non exercitus, sed *multitudo exercituum celestium*, plausum dat; nec plausu tamen confuso aër personat, sed carmen de laude Dei, de pace in terris, de benevolentia in homines symphonia composita cantatur. Rem miram! tantæ multitudinis quasi vna vox ad pastorum aures distincte permanat, videlicet, ut angeli docerent eadem opera etiam homines cantare ac psallere iucunde scienterque in Christi gloriam. Num, simile quid vnquam contigisse, ex veteri aut nouo Testamento nobis constat? Nihil certe, quod conferri cum his circumstantiis possit. Siccine igitur, modo plane inusitato atque inaudito, testimonium de Maiestate, ac Magnitudine Christi perhibitum non fuit eo ipso tempore, quo paruus factus videbatur? Nec videbatur tantum, sed erat *paruus factus, quia nos parui eramus*, ut Augustinus ait. Tantum autem abest, ut propterea, quia paruus factus est, a nobis parui fieri debeat, ut Angeli suo nos exemplo doceant, nihil nos magis, quam id ipsum, impellere debere ad magnitudinem eius in cælum extollendam. Vides, inquit Bernhardus, *amori cedere etiam Maiestatem?* ad- in Cant. Serm.
dit: *amor in se ipso celsos humilesque contemperat; nec modo pares, sed vnum* 59.
eos facit. Tu Deum forsitan adhuc ab hac amoris regula excipi putas, sed qui
adhaeret Deo, vnus spiritus est (cum eo) Quid miraris hoc? Ipse factus est, 1. Cor. 6, 17
tamquam vnus ex nobis. Minus dixi, non tamquam vnus, sed vnus. Pa-
rum est, parem esse hominibus, homo est. Hominis igitur nomine meri-
to indignus censebitur, quisquis magnitudinem Christi ex immen-
sa hac charitatis magnitudine, quod Deus homo factus sit, non,
magni æstimauerit.

Nos vero hic ingressi sumus stadium (postquam de mysterio 1. Tim. 3, 16.
extra dubitationem magno, quod Deus manifestatus sit in carne, verba facere
cœpimus) quod haud graue nobis foret decurrere, nisi intra breuis
exhortationis limites, ut moris est, nos continere deberemus.
Demonstrare enim ex scripturis possemus, magnum esse Christum Vn- Pl. 45, 8. [Ioh.
ctionis dono, & omnibus vnctis Dei, quia sine mensura & supra 3, 34.
omnem mensuram Spiritu sancto vnctus est, longe maiorem: Ma-
gnum

gnum eum esse officio Mediatoris, quod sustinet inter Deum & homines: *Magnum* esse fulgore attributorum diuinorum, quorum natura humana particeps a diuina est facta: *Magnum* proinde duodecennem puerum, utpote diuinæ Sapientiæ documenta publice dantem Doctoribus, Parentibus vero responso, quod captum eorum plane transcenderet, profundæ admirationis causam suppeditantem: *Magnum*, tantus quum esset, obedientia illa simplicissima, Parentibus præstita: *Magnum*, omni illo sacri illius, ut ita dicamus, silentii tempore, ad annum vsque trigelimum obseruati; quo spatio temporis quantus sanctitate fuerit, vel ex eo apparet, quod quum ad Iohannem accederet, ut ab eo baptizaretur, Iohannes enixe eum prohibuerit, dicens, *mibi opus est, ut a te baptizer, & tu venis ad me*: *Magnum* deinde in ipso baptismo, testibus Patre ac Spiritu Sancto, declaratum; dehinc *Magnum* a magno Præcursores omni parrhesia prædicatum, digitoque monstratum: tum *Magnum* se ipsum, immo omnibus Prophetis maiorem, miraculis, in scriptura de ipso prædictis, exhibentem: *Magnum* porro sanctitate, puritate, ἀναισθησία, legis impletionem, immo tantum, (quod ad hoc ipsum attinet) ut solus audiat *agnus immaculatus*, cuius perfectissima & innocentissima puritas & sanctitas omnem, quam ratio humana excogitet aut effingat, virtutis ideam, omnemque etiam vere sanctorum hominum, immo ipsorum Angelorum sanctitatem longissime transgrediatur: *Magnum* doctrina, ipso videlicet Mose, Prophetam maiorem: *Magnum* obedientia, quam vsque ad mortem eamque ignominiosissimam, in ipsa cruce, Dominus gloriæ quum esset, Patri caelesti præstitit: *Magnum* ac summum sacerdotem, Aharone Maiorem: *Magnum* Pastorem Ouium, vnicum, fidelissimum, amantissimum suorum: *Magnum* in ipsa morte, quam ignominiosissimam diximus.

Luc. 2, 51.

Matth. 3, 13, 14.

Hebr. 3, 5, 6.

1. Cor. 12, 22. seqq.
2. Cor. 13, 10.

Quid? in ipsa morte? Mirum id quidem nec ipsi rationi videri debet, si in ipsa morte quis magnus dicatur. Heroes enim, qui gloriose occumbunt, *magnum* dici, infrequens non est. Sed absit, ut Christum non sublimiori ratione *magnum* in ipsa morte dicamus. De iis, quos Mundus *magnum* appellat, ita existimemus: *Nihil esse magnum re, quod paruum sit tempore*. Aliter enim de iis Spiritus Sanctus, quam mundus, iudicat. *Non descensum est post eos gloria eorum*; ait. Christus vero in morte ipsa *magnum* extitit, quia secundum scripturas *deposuit, ut vnicus bonus Pastor, animam suam pro quibus*

Eucherius.

Pl. 49, 18.

Ioh. 10, 11, 15.

onibus. Considerate vero, quantus ille sit, qui antequam deponeret animam, dicere (& quod dixerat, facto probare & implere) poterat : *Propterea Pater me diligit, quia ego depono animam meam, ut eam v. 17. 18. rursus assumam. Nemo tollit eam a me, sed ego depono eam per me ipsum : auctoritatem habeo deponendi eam, & auctoritatem habeo rursus eam adsumendi.* Magnus omnino in morte sua fuit, quia morte sua mortem aboleuit, 2. Tim. 1, 10. & vitam ac incorruptibilitatem in lucem produxit ; immo, ut pro omnibus Ebr. 2, 9. mortem gustavit, ita per mortem aboleuit eam, penes quem erat mortis robur, v. 14. 13. hoc est diabolus, & liberos reddidit, quotquot metu mortis per omnem vitam subiectionem servituti, & tamquam Pontifex futurorum bonorum in sacrarium per proprium sanguinem, (se ipsum per spiritum aeternum Deo inculpatum offerens) ingressus, aeternam redemptionem nactus est ; paucis : peccata expiavit, Deum hominibus reconciliauit, mortem ac diabolus vicit, Ef. 58, 8. 1. Cor. 15, 13. 2. Cor. 5, 18. Rom. 5, 10. Ita scriptura de eo testatur, quod Magnus in morte extiterit. Ceterum ut magnum in natiuitate praedicarunt Angeli, ita res inanitate ipso moriente, iussu creatoris, quosdam, qui increduli fuerant, adegerunt, ut magnitudinem eius confiterentur. Tenebrae enim praeter naturam factae ; velum templi scissum in duas partes a summo usque ad imum ; terra mota ; petrae fissae ; monumenta aperta ; multa sanctorum, qui dormierant, corpora surrexerunt, qui egressi e monumentis post resurrectionem eius, introierunt in sanctam urbem, & apparuerunt multis. Non negligamus haec magnitudinis eius testimonia ; maxime vero, si Christiani sumus, id cum Iohanne suspiciamus, quod quodam ex militibus lancea latus eius fodiente, sanguis & aqua exierit. En, Ioh. 19, 34. 35. quanti hoc signum pietas Iohannis fecerit ! Qui vidit, ait, testatur, & firmum est testimonium eius, ille, inquam, scit, se vera dicere, ut & vos credatis. Et in Epistola sua prima, Hic ille est, ait, qui venit per aquam c. 5, 6. & sanguinem, nempe Iesus Christus : non per aquam solum, sed per aquam & sanguinem. Ita omnino Apostolus Christo dilectissimus maiorem huius rei rationem habuit, quam solis deficientis, quam scissi veli in templo, quam petrarum fissarum, quam denique omnium eorum, quae tum temporis acciderunt. Scripturas enim intellexit, & promissum praefiguratumque in veteri testamento Redemptorem, ac summum futurorum bonorum Sacerdotem, in hoc signo per Spiritum Sanctum magis, quam in reliquis omnibus agnouit.

Detinuit nos diutius consideratio magnitudinis Christi in ipsa morte elucens ; at quum in hac morte eius, morte inquam

Es, 11, 10.

Christi, quem mors retinere non potuit, omnis vita & salus fita-
fit, immo omnis ex ea fidei victoria, & futura eorum, quos fides
ad finem seruata coronabit, gloria dependeat, de tanta re, ne in-
cepisse quidem aliquid dicere nobis videmur. Tanta autem rerum
amplitudo se nobis offert, vt momenta singula ne attingere qui-
dem, vel, vt dicitur, degustare liceat. Reliquum enim esset, vt
Magnum post mortem in quiete, qua secundum Scripturas tridui
spatio in sepulcro vsus est, quamque gloriæ (^{תבא}) ei futuram esse,
Spiritus Sanctus prædixerat; vt *Magnum* in assumenda rursus ani-
ma; vt *Magnum* in descensu ad inferos; vt *Magnum* in resurrectio-
ne; *Magnum* in apparitionibus, quadraginta illis diebus, quibus
post resurrectionem in terris cum discipulis versatus est; *Magnum*
in adscensione in caelos; *magnum* in sessione ad dextram, *Magnum* in
effusione Spiritus S. contemplaremur.

1. Tim, 3, 16.

Eph. 1, 20. 21.
22. 23.

Philipp. 2, 9.
10. 11.

Neque, si in his omnibus Christum vere Magnum se exhi-
buisse, e Scripturis probassemus, dicendorum finis esset. Nouum
potius inde ab ipsa sessione ad dextram, & Spiritus sancti effusione
initium daretur, & quasi proprius, si de militante ecclesia loqua-
mur, aperiretur campus Magnitudinem Christi euidentissimis
argumentis comprobandi. Apostolum audiamus, ex illo temp-
oris articulo argumenta de Magnitudine Christi nequentem, Post-
quam enim dixerat, *iustificatus est in spiritu, conspectus est ab Angelis; ad-
dit: prædicatus est gentibus, fides illi habita est in mundo, sursum receptus est
in gloriam.* Et clarius alibi: *Collocauit eum ad dextram suam in caelis,
longe supra omne imperium ac potestatem, & potentiam & dominationem, &
omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo verum etiam in futuro;
& omnia subiecit eius pedibus, eumque constituit caput super omnia Ecclesia,
quæ est corpus ipsius, & complementum eius qui omnia implet in omnibus.* Et
alibi: *Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donauit ei nomen,
quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu se flectat caelestium ac
terrestrium ac subterraneorum, omnisque lingua profiteatur, Iesum Christum
esse Dominum, ad gloriam Dei Patris.* Exponenda itaque Magnitudo
Christi esset enarratione illustrissimæ manifestationis regni gratiæ &
amoris eius, & euolutione mysteriorum inter homines, immo in-
ter angelicos quoque spiritus in lucem productorum; quod re-
gnum ille facta Spiritus Sancti effusione, suæque virtutis & amoris,
non iucundissima tantum promulgatione & oblatione per Euange-
lium

lium instituta, sed præstita quoque fidelibus salutari communica-
tione (o quam diuinis, quam gloriosis operibus!) per vniuersum
orbem instituit, diffudit, & in hunc vsque diem conseruat, immo
vero ad vltimum huius seculi diem conseruaturus est. Quam vero
orationem hoc Christi regno celebrando dignam, quam ei suffe-
cturam esse existimatis? Neque vero hic terminus ac finis dicen-
dorum foret, vbi noua potius a Prophetis & Apostolis nobis perio-
dus panderetur, non iam in regno gratiæ amplius, sed in regno
gloriæ Magnitudinem Christi, spectandi, vt Iudicis vniuersalis,
& Regis deuictis omnibus inimicis in throno cum Patre sedentis ac
regnantis in æternum, vt Alpha & Omega, principii & finis salutis
omnis, qui suos quos a Patre accepit, ab interitu vindicatos, gra-
tiæque suæ factos participes, in fide conseruatos, & omnino repa-
ratos ac consummatos Patri tradat, vt eius amore gloriaque æter-
num fruantur. Sic tandem magnitudinis eius non esse finem, li-
quido appareret. In diuersis vero illis, quibus manifestatio Ma-
gnitudinis Christi distingui quodammodo secundum Scripturam
posset, periodis, singula pro magnitudine Christi facientia argu-
menta tanta deprehenderentur, vt nulla omnino ingenii vi, nul-
lo intellectu satis ea comprehendere, nullaue dicendi copia enume-
rari, digneque explicari a quoquam posse, nemo non confessurus
esset. Verum in præsentia sicco ea pede præterimus, partim quia
in reliquorum festorum dierum solennibus ea luculentius iam sunt
exposita, partim quia sua luce ita radiant, vt nemo, nisi rei Chri-
stianæ plane expers, magnitudinem & maiestatem Domini nostri
Iesu Christi in iis non agnoscat; maxime autem, quia in tanta ar-
gumentorum pro magnitudine Christi copia præstare existimamus,
si iis, quæ dicta sunt, addamus nonnulla, quæ non omnibus ob-
uia, nec ab omnibus, in scriptura interpretanda versantibus, co-
gnita atque perspecta videantur.

Ad hanc classem primum referenda existimamus ea, quæ de-
cus illud & ornamentum Ecclesiæ tempore reformationis, B. Io-
hannes Brentius iam supra bis nominatus, vere & egregie de insti-
tuenda, ad ductum Scripturæ sacre, consideratione magnitudinis
Christi passim monuit, & quorum neruum & summam loco iam
adducto ita expresit: *Danda nobis est opera, vt agnoscamus Iesum Chri-
stum, qui est thesaurus noster, non solum ex iis, quæ de ipso dicta & acta sunt,*

post Natiuitatem, Mortem, Resurrectionem & Ascensionem in cœlum, sed etiam ex iis, quæ de ipso & propter ipsum, immo propter nos dicta & acta sunt, priusquam in hoc mundo natus est. De Christo enim propheticum est primo publicis vaticiniis seu oraculis, hoc est, promissionibus & concionibus de ipso. Deinde publicis sacris & ceremoniis. POSTREMO AD CONSERVANDA VATICINIA DE CHRISTI ADVENTU, AD CONSERVANDVM ETIAM GENVS, E QVO CHRISTVS HOMO NASCITVRVS ERAT, MAXIMA ET STVPENDA MIRACVLA EDITA SVNT. INSTITVTAE PRAETEREA ET ITERVM DEIECTAE SVNT POTENTISSIMAE IN TERRA MONARCHIAE. Quod hic primo loco Brentius de vaticiniis, quodque secundo loco de sacris & ceremoniis ad Christum collineantibus dicit, id a multis copiose tractatum est; proinde neque ea, quæ ille in sequentibus quoad duo priora magnitudinis Christi argumenta addit, hic recensenda ducimus. Quod autem postremo loco maximorum & stupendorum operum Dei, regnorumque & ortorum & destructorum, causam & fundamentum nectat ex oeconomia, Dei, qua Christus solus & vnicus verus Monarcha, Rex Regum, & Dominus Dominorum constitutus est; quodque tantas rerum mutationes ex Dei consilio ac prouidentia in conseruandis, propagandis implendisque vaticiniis de Christo, repetit; id a paucis cognosci, a paucioribus curatius ponderari, a paucissimis dedita opera, & pro rei amplitudine ac dignitate solide & luculenter tractari, dolendum est. Quamobrem vt de mente B. Brentii, immo potius de re ipsa plenius constet, audiamus, quæ ab illo in sequentibus explicationis ac probationis gratia, subiunguntur. Initio, ait, quum homines multiplicarentur, & traderent se voluptatibus, neglexerunt concionem de aduentu Christi. Plantabant (inquit Christus) seminabant, edificabant, ducebant uxores. Dixit itaque Deus; Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est, homines caro sunt, non curant Spiritum meum, seu concionem de aduentu Christi. Quare vt Deus restitueret concionem de aduentu Christi, perdidit totum orbem terrarum diluuio, & conseruauit paucos, per quos propagauit vaticinia de aduentu Christi. Postea Abraham, Isaac & Iacob electi fuerunt, vt ex posteritate & genere ipsorum veniret Christus. Quare Deus non permisit, eis hominem nocere, Psal. CII. Corripuit pro eis etiam Reges. Deinde Pharaon necesse habuit perire, quod cogitauerit delere Israëlitas, e quibus venturus erat Christus. Similiter Gentes

Ca-

*Cananea deleta sunt, ut hoc genus hominum, e quo Christus erat venturus, haberet regionem, in qua institueret concionem & sacra de aduentu Christi, Deut. IX. Nationes deleta sunt, ut compleret Deus iuramentum suum, quod pollicitus erat Patribus. Precipuum autem iuramentum erat: Per memet ipsum iuravi (dicit Dominus) in semine tuo benedicentur omnes gentes. Postea cum Babylonii volebant remittere captiuitatem Iudeorum, & periculum erat, ne genus, e quo Christus descensurus erat, periret, necesse habuit potentissima Monarchia interire, ut hoc genus conseruaretur. Sic enim Esa. cap. XLV. dictum est de Cyro: Ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel, propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum &c. Breuiter, OMNIA REGNA TERRAE NECESSE HABVERVNT OPERAM SVAM CONFERRE, VT CONSERVARETVR GENVS, E QVO CHRISTVS ERAT VENTVRVS, ET QVOD REGNVM MOLIEBATVR HVIC FAMILIAE EXITIVM, HOC INTERNECIONE PERIBAT. Quae hic succincte & compendiose Brentius delineauit, ea data occasione, fusius in commentariis suis pertractauit probauitque. Strictim autem & in genere mentem suam declarat, quando vsu Psal-
mi nonagesimi tertii his verbis comprehendit: Hic Psalmus est vaticinium de regno Christi: etsi Christus non diserte aut nominatim in eo praedicatur, quod loquatur de regno Christi. Apostolica enim scripta sunt apocalypsis & commentarius veterum Prophetarum Scriptorum. Postquam autem Christus intrauit in Gloriam suam, & consedit ad dextram Dei Patris sui, scripta Apostolica nesciunt alium Dominum Deum nostrum praeterquam Christum. Norunt quidem duas alias in diuinitate personas, Patrem & Spiritum Sanctum; sed nesciunt alium Dominum Deum nostrum, Zebaoth, praeter Christum. Huic enim subiiciunt caelum & terram, & vniuersum orbem: hunc exaltant super omnes creaturas: hunc collocant ad dextram Dei: huic dant nomen super omne nomen, ut in nomine eius omne genu se flectat, caelestium, terrestrium & infernorum: huic soli deferunt illum honorem, ut non sit aliud nomen sub caelo inter homines datum, in quo oporteat nos saluos fieri. Quare VBICVNQVE SCRIPTA PROPHETICA DEFERVNT DEO HONOREM REGNI, OMNIPOTENTIAE ET SALVTIS, SENTIAMVS, EVM DEFERRI DOMINO NOSTRO IESV CHRISTO, QVI EST VNA CVM PATRE ET SPIRITV SANCTO DEVS LAVDANDVS IN SAECVLA. Verba ista cum antea adductis collata ostendunt, virum beatum*

vid. imprimis
 Brent. Com-
 ment. in Ies.,
 cap. 44. & 45.

beatum Christo non tantum tribuisse potentissimarum monarchiarum regnorumque maximorum, quæ in orbe extiterunt, institutionem & extirpationem, omnesque rerum ab orbe condito mutationes, ita ut Deus arcano quadam consilio respectum ad implenda vaticinia de Christo habuerit, cui consilio Dei omnes reges ac monarchæ, etsi non semper voluntate, effectu tamen inferuire debuerint; sed illum etiam Apostolica Scriptorum veteris Testamenti interpretatione adductum, omnino statuisse, expresse & ex mente Spiritus S. sermonem de Christo esse, *ubique*, ut eius verba repetamus, *Scripta Prophetica deferant Deo honorem regni, omnipotentie, & salutis.* Et optime notandum, quod in hac oraculorum veteris Testamenti expositione non nitatur proprio iudicio nec auctoritate humana, sed utatur potius genuina clauē Scriptorum Moſis & Prophetarum, scriptis nempe Apostolicis; quorum testimonium omni exceptione maius esse, nemo, qui Christo nomen dedit, negauerit. Iam si quis ea, quæ de Christo Brentius adfirmat, secum digne reputet, ac pensitet, haud difficulter obseruabit, ea ratione Maiestatem Christi in scripturis veteris non minus quam Noui Testamenti, vtramque, quod aiunt, paginam facere; Per Christum, ut facta sunt omnia, ita etiam cuncta ab initio fuisse gubernata; illum ipsum esse qui vere dicere possit: *Meum est consilium, & quicquid est, mea est prudentia, meum robur.* Per me reges regnant, & dominatores decernunt iustitiam. Per me principes gerunt principatum; & ingenui omnes iudices terrarum. porro omnia quæ a condito mundo facta in scripturis memorantur, non aliquo tantum modo, sed vel maxime, æconomiam Dei, quæ est in Christo, spectare; hinc denique nec sapientissimum Dei consilium, quas profundas Dei cogitationes Scriptura dicit, nec Satanæ *voluptas* pestilentissima, Christo capiti, singulisque ac vniuersis eius membris, opposita, in iis, quæ in Scriptura narrantur, posse intelligi, nisi quis illam Christi magnitudinem ac maiestatem bene cognitam atque perspectam habeat; & quæ sunt sunt alia verbis adductis beati viri comprehensa. Utinam intentis animi oculis ista omnes considerarent, & inter pias preces sobrie meditarentur! Ita demum quæ Luthero, quæque eius æqualibus mens fuerit, quando Christi magnitudinem indefesso studio Scripturis ostendendam, & solam hominibus commendandam, crediderunt, melius essent intellecturi. Exemplo sit hic ipse Luthero in paucis

Prou. 8, 14,
15, 16,

Ps. 92, 6. Ps. 36, 7.
Ier. 51, 8, 9.

cis dilectus Brentius, quantopere is ad Christum, tamquam ad cynosuram, tractationem Scripturarum omnem doceat referendam, ut maiestas ac magnitudo eius nobis recte & salutariter innotescat.

Agnouerunt in eo genuinam hanc optimamque Scripturas exponendi viam Theologi cordati, & approbarunt, inter quos eum Glasius hoc ornat elogio: *Dignissima profecto sunt huius insignis Theologi scripta exegetica, praesertim in Veteris Testamenti libros, quae diligenter euoluantur ab omnibus, qui Theologiae & Philologiae sacrae etiam studio addicti sunt: quippe doctrinae caelestis omnigenae & observationum variarum ex Hebraeo textu plena.*

Philol. 8, lib. 4.
tract. 1.

Brentio possemus Iohannem Bugenhagenum Pomeranum adiungere, non dissimilem Maiestatis Christi in Scripturis Veteris Testamenti praedicatae testem, de cuius Commentariis in Psalmos ita in praefatione Lutherus loquitur: *Pomeranus primus in orbe, qui Psalterii interpres dici mereatur; adeo ceteri fere omnes tantum opinionem quisque suam, eamque incertam, in hunc pulcherrimum librum congesti, hic vero iudicium Spiritus certum te docebit mirabilia.* Hi autem eius in Psalterium Commentarii plane referti sunt meditationibus de summa Christi Magnitudine & Maiestate, etiam, ante quam in carne manifestaretur, ab eo usurpata, & e Scripturis cognoscenda. Sit exempli loco Psalmus vigesimus nonus, in quo ea, quae de voce Domini magnifica dicuntur, confert cum iis quae ad Ebraeos capite quarto, de voce Domini ac viuo Dei Sermonem, & Iohannis capite primo de Dei verbo, quo fiant omnia, praedicantur, & hoc supposito, Psalmum omnia agere iucundissimis ad veteres historias allusionibus, adfirmat, & prouocatur, ait, *in hoc Psalmo omnis potestas, ut subdatur VERBO DOMINI, & gloriam det Deo, qui suo VERBO POTENTISSIMO & EFFICACISSIMO, quippe quo omnia creauit, superbos, qui Deo Deique populo resistunt, terret, punit, absorbet, occidit, igne consumit, demergit ad inferos etiam viuentes, quosdam etiam trementes fugere facit a conspectu & suo & sanctorum, qui tremor est Cain. &c*

Si in retanta testes antiquiores desideremus, sit instar multorum Rupertus Tuicensis, saeculi quidem duodecimi scriptor, sed qui in illa saepe aetatis caligine lumen clarissimum ad cognoscendam Christi Maiestatem etiam posteris prae tulit. Non tantum enim de gloria & honore filii hominis in scriptos commentarios in Matthaeum, sed etiam libros tredecim de victoria Verbi Dei elucubrauit, quibus bella inter Agnum Dei & Draconem, inde usque

C

a posita

a posita inter eos diuinitus inimicitia Genes. 3, 15. ad triumphum vsque Agni plenissimum, vbi sub pedes eius omnes eius inimici positi erunt, solida Spiritus demonstratione prosequitur: ita vt ea, quæ modo quasi tribus verbis e Brentio expressimus, ibi & copiosius & enucleatius pertractata inuenias. Vt enim largiamur, in nonnullis non male ab eo dissentiri, tamen, quod ad argumentum in se attinet, quod sibi tractandum fuit, ei abunde satisfecit, adeoque in magnitudine & maiestate Christi, e certaminibus atque victoriis demonstranda quam plurimos superauit. Id quod, vt vnico saltem exemplo, tempori & tractationi huic congruo elucescat, audiamus eum docentem, quod verbum Dei nondum incarnatum, id est, Immanuel nondum natus, liberarit terram a rege Assyriorum. Nonne, ait, sibi met prouidit? Nonne propter semet ipsum hoc operatum est verbum Dei? Vtique nobis & propter nos sibi prouidit, vt seruaret genus, vnde virgo veniens conciperet & pareret ipsum, qui vocaretur Immanuel, nondum quidem vocabatur, sed futurum erat vt vocaretur Immanuel. Attamen Esaias inuocabat eum Immanuel, vt a prædictis Assyriis Ierusalem liberaret. Cum enim dixisset: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Immanuel; postmodum hæc quoque locutus est: adducet Dominus aquas fluminis sortes & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam eius, & ascendet super omnes riuos eius, & fluat super omnes ripas eius, & ibit per Iudam inundans, & transiens vsque ad collum veniet, & erit extensio alarum eius, implens latitudinem terra tue, o Immanuel. Quod dicit, terra tue, o Immanuel, magna cordis exclamatio est, ad commune faciendum Dei verbum, quod terra Iuda terra ipsius esset secundum propositum gratiæ, quia præfinitum atque prænuntiatum fuerat, quod de terra Iuda, & de terra David virgo ipsum conciperet, & pareret, & vocaretur Immanuel. Et quia sic certissimum futurum erat, quia castra Assyriorum percussurus erat, iste nondum secundum carnem natus Immanuel protinus insultabundus dicit: Congregamini populi, & vincimini, & audite procul vniuersa terra: Confortamini, & vincimini, accingite vos, & vincimini, inite consilium, & dissipabitur, loquimini verbum, & non fiet, quia nobis cum Deus. Magna fiducia, magna & certa securitate taliter ob hoc dictum est, quippe cui incertum non erat, nihil esse, quod propositum Dei auertere posset. Contra cuius consilium omne hominum consilium vanum est, inde tutus insultat, & iuxta quod scriptum est: qui habitat in calis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos; Ridendo & subsannando prouocat, prouocando irridet & subsannat gentes frustra frementes, & populos

Es. 7, 14.

Es. 8, 7.8.9.10.

Pf. 2, 4.

populos inania meditantes, qui iam assisiebant, & conueniebant in unum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius Immanuel.

Ceterum & plura ex istis, quos nominauimus, scripturæ interpretibus testimonia Magnitudinis Christi, & plures eiusdem Magnitudinis ac Maiestatis testes satis graues in præsentia producere, instituti nostri memores, superfedemus. Neque vero existimandum est, ideo ista esse prolata, ut iis quasi caput argumentorum ad ostendendam Christi Magnitudinem comprehendatur. Illustriora enim in antecedentibus suppeditata sunt, & hæc ipsa antea dictis certissime iam continentur. Propterea autem adduximus, quia hæc potissimum ad Scripturam recte intelligendam faciunt, & ut negligi perperam a multis interpretibus solent, ita lectoribus Scripturæ Sacræ non animaduersa minorem Maiestatis Christi uenerationem, adde etiam minorem, in cognoscenda rerum omnium gubernatione diuina, sapientiam in animis relinquunt. Et qui Theocratiam Christo, non tantum peculiari modo in gentem Israeliticam, sed etiam in totum orbem tribuendam; Christumque Excelsum esse, supra uniuersam terram & tamquam Dominum ius dicere in omnibus gentibus, idque ab eo & nunc fieri, & ante manifestationem eius in carne iam factum esse, e Scripturis didicit agnouitque, ac rerum in æconomia diuina connexionem ex Spiritus Sancti in scripturis indicio, hac ratione pie animaduertit, is non potest non ad uenerandam Christi Maiestatem magis accendi, & firmiora simul solatia in miserrimo orbis, quo nunc laborat, statu, rerumque omnium, quæ uidetur, perturbatione, ex genuinis fontibus haurire.

Vos autem, *Ciues*, potissimum uestræ excitationis gratia **MAGNITVDINEM AC MAIESTATEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI** ante oculos uobis propositam esse intelligatis. *Verbum caro factum est, & habitauit inter nos, qui est plenus gratiæ & ueritatis. Oportet igitur ut & nos gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti, qui uenit a Patre, contemplemur. Hic est imago Dei inuisibilis, & Col. 1, 15-20.* primigenitus omnis rei condita, per eum condita sunt omnia quæ in cælis sunt & quæ in terra, uisibilia & inuisibilia, siue throni siue dominia, siue imperia, siue potestates, omnia per eum, & ejus respectu condita sunt, estque ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt, estque

vid. Cl. Hermannii V Virsi Oratio de Theor. Israel, præf. Godvv. Mos. & Aar. Pf. 83, 19. & 82, 8.

Ioh. 1, 14.

Col. 1, 15-20.

caput corporis, id est, Ecclesie, estque etiam principium & primogenitus ex mortuis, quoniam libuit Patri, ut omnis plenitudo in eo inhabitaret, & ut pace per sanguinem crucis ejus facta per eum reconciliaret omnia sibi, per eum, inquam, tum quæ in terra, tum quæ in cælis. *Apoc. 5, 6-14.* Hic est Agnus Dei in medio throni diuini consistens, coram quo non minus quam coram Patre quatuor, quæ vocantur, viuentia & viginti quatuor seniores in genua cum adoratione procumbunt, & cui millies centena millia, & decies centena millia in circuitu throni dicunt: Dignus est Agnus ille mactatus, qui accipiat potestatem, & diuitias, & sapientiam, & virtutem, & honorem, & gloriam & benedictionem: & cui tandem omnes res condite quæ in cælo sunt, & quæ in terra & in mari, & quæ in eis sunt omnia, æque ut Patri applaudunt, & concinunt: Benedictionem, & gloriam & robur in secula seculorum.

Hic, hic est, hic talis ac tantus est, DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS! Sat est tanti Domini esse seruum. Is quo inter genitos & mulieribus quisquam major (teste ipso Domino) non est suscitatus, indignum se aestimauit, qui incuruatus corrigiam solearum ejus solueret. *Matth. 11, 11.* Hunc igitur Dominum, quæ par est veneratione, *Marc. 1, 7.* perinde ut Patrẽ, colamus omnes, hunc & publice & priuatim adoremus, huius erga nos merita infinita laudibus sanctissimis celebremus, huic nos totos, ut ipse se nobis totum, *1. Cor. 1, 30.* quo nostra sit sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio, quin tota salus, tradidit ac donauit, toto animo deuoueamus & consecremus; huic dati atque mancipati, per spiritum sanctũ, quem petentibus largitur, non coacte sed libere seruiamus; & ut ei placeamus, non his tantum diebus festis, sed in omni vita, studio omni contendamus, ut eum quem MAGNUM esse, *2. Cor. 5, 9.* scripturæ nos conuincunt, in nobis MAGNUM & exalratum esse ipse quoque comprobandoque testemur. P. P. in Academia Fridericiana. A. D. MDCCV. Fer. Natalit.

LITTERIS Orphanotrophii.

W 18

